

vit Apostoli locus Hebr. ix. 27. Statutum est hominibus semel mori. Post hoc autem Judicium. Neque injuria hisce verbis utimur, quum nulla ibi inter mortem hominis, et occultum Judicis Dei tribunal mora interponatur. Et quamvis nonnulli arbitrentur, ibi Apostolum loqui non de singulari, sed de universali Judicio Dei in fine Mundi; doctrina tamen de privato Dei Judicio statim a morte hominum ex iisdem verbis multo rectius ac verisimilius resultat, utpote quae etiam ex aliis Sacrarum Literarum & Patrum documentis reprehenditur firmissima, immo sine temeritate ac lectione Christianæ Fidei negari non potest. Hujusmodi Judicium agnoscit & confirmat S. Thomas non uno in loco: sed præteritum in Summa Tom. III. Qu. 59. Art. vi. Præterea S. Aug. Lib. xx. Cap. i. de Civ. Dei, præter novissimum Judicium alia agnoscit media Dei Judicia, quum Deus judicet etiam de singularum hominum operibus propriis: *U* homines plerumque aperte, semper occulte, luunt pro suis factis divinitus penas, sive post Mortem. Alios Patres hujus doctrinæ testes infra, adducam. Reliquit autem divinus Magister ineluctabile hujusmodi veritatis exemplum in Divitis Anima, nondum resumto Corpore, apud inferos excruciatæ. Quamobrem etiam si aperta Scriptura verba defessent, facta non defunt, quibus ipsum dogma persuadeatur. Nimirum nullum habemus intervallum inter Divitis mortem & supplicium. Istius damnationem, istius pœnam Judicis sententia præcesserit oportet. Rursus Aug. audt Lib. II. Cap. 4. de Anima & ejus origine. *Rectissime U* valde salubriter credit, judicari Animas, quam de Corporibus existant, antequam veniant ad illud Judicium, quo eas oportet jam redditis Corporibus judicari, atque in ipsa, in qua hec vixerunt, Carne torqueri, sive gloriari. Hoc ita-ne tamdem nesciebas? Hujus quoque doctrinæ fundamenta inter cætera indicat, addens: *Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis ostendit, ut in illo Paupere, qui post mortem ablatus est in Sinum Aribæ, U in illo Divite, cuius in Inferno cruciatus exponitur, ita non audiatur, aut auditio non credat?* Hæc Novatorem Burnetum ferunt, & doctrinæ Catholicæ vetustatem produnt. Quare prorsus corruere videoas Burneti ejusdem argumentum, dum scribit: *Nec sacræ Literis, nec Rationi naturali consentaneum esse videtur, summas penas exigere, aut summa pœna engare, antequam res in Judicium deduxta fuerit, U de cuiusque causa confiterit.* Judicium autem nullum memorat Scriptura sacra ante finem Mundi. At nos jam manu tenemus, ante extremum Mundi Judicium inflictas Diviti mortuo penas: ergo non unum tantummodo universale Judicium, sed Judicia quoque peculiaria in hominum morte a Deo habenda credamus. Infra quoque vide Caput xxviii.

Lucis incrementum majus accipiet sententia nostra cx Joh. xiv. 1. ubi Christus ad mortem profecturus. Apostolos suos hisce verbis solatur: *Non turbetur cor vestrum. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et h̄ abiero, U preparavero vobis locum, iterum venio, U accipiam vos ad me*